



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conferentiæ Theologico Morales

Compendiosè propositæ ac breviter resolutæ Ad Usum Directorum
Conferentiarum Hebdomadalium ... DD. Parochorum, Curatorum,
Confessariorúmque omnium

Ex Materia De Actibus Humanis Excerptarum

Sargar, Eliseus

Augustæ Vindelicorum, 1720

Conferentia CIV. An licitum sit delectari de re materialiter tantùm mala ?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41214

ferio imaginari? cum ergo eam commotionem libidinosam nunquam liceat procurare, nunquam etiam licebit talia turpia imaginari, etiam cum sola speculatione imaginationis.

CONFERENTIA CIV.

An licitum sit delectari de re materialiter tantum mala?

Sensus quaestionis est, an liceat delectari vel gaudere de pollutione, fornicatione, adulterio, homicidio, perjurio &c. factis inculpate in somno, ebrietate, amentia, ex ignorantia vel errore invincibili? v. g. si cognovisses faeminam invincibiliter putans esse tuam, aut occidisses hominem inculpabili errore credens esse feram.

201. RESOLUTIO I. illicitum est delectari de re materialiter mala secundum se. Ita communis & certa doctrina apud Sanch. l. 1. c. 2. n. 16.

Ratio & regula generalis ab Azorio & Sanchez assignata est. Quoties causa excusans a peccato factum exterius, non etiam reperitur in ipsa delectatione (vel desiderio) tunc licet factum culpa sit liberum, non tamen libera erit a culpa eius delectatio vel desiderium: atqui facta illa enumerata, & similia, de se & natura sua intrinseca mortalia sunt, & ex solo defectu rationis ac voluntarii, vel ob ignorantiam invincibilem, excusantur a culpa mortali; ipsa vero delectatio de iis voluntarie suscepta caret omni ejusmodi causa excusante, quia plenam rationis libertate tendit in illa objecta simpliciter mala: igitur delectatio morosa de re materialiter mala, secundum se semper est illicita, & tale

tale peccatum, quale essent ipsum peccatum, si voluntariè fieret, mortale, vel veniale.

Dices: talis est delectatio, qualis est actus ipse: ergo si actus fuit licitus, & delectatio ipsius licita erit. R. dist. anteced. si causa liberans actum à culpa, reperiatur etiam in delectatione, conc. anteced. si non, neg. anteced. cum conseq. Sic enim licet delectari de furto facto in extrema necessitate: de homicidio facto ob necessariam defensionem &c. quia eadem libertas eadem est in facto & delectatione, & causa liberans factum à peccato, etiam currit in delectatione; quod non fit in proposito resolutionis.

202. RESOLUTIO II. Non item illicitum est delectari de re materialiter mala sub ratione aliqua boni. Ita DD. citandi.

Ratio est: quia licitum est gaudere de re materialiter mala cum reduplicatione, quatenus nim. facta cum causa exculante à peccato v. g. ut si evigilans, compertà pollutione, exultes, quod in somno facta sit inculpatè, & non in vigilia: hoc enim perinde est, ac gaudere, quòd eo facto non peccaveris: hoc autem sine dubio bonum est: igitur &c. Deinde consentiunt omnes licitum esse gaudere de re materialiter mala, quatenus causa fuit aliqui boni effectus secuti, seu potius de ipso effectu bono secuto: ut quod ex pollutione involuntaria cessarit tentatio vel infirmitas; vel quòd ex perjurio inculpatè ex ignorantia facto, homo liberatus sit à morte: vel quòd ex homicidio inculpabiliter comisso tibi multa hæreditas obvenerit &c. Talis enim delectatio vel gaudium nullo modo

ten-

tendit in objectum, ut malum est, sed potius in ipsum effectum bonum secutum, ut patet ex communibus Vasq. 1. 2. disp. 115. c. 3. Sanch. l. 1. c. n. 18. Less. l. 4. c. 3. n. 140. & alii.

CONFERENTIA CV.

An desiderare rem materialiter malam sit licitum ?

203. **R**ESOLUTIO: Desiderare rem materialiter tantum malam (puta fornicationem, homicidium siendum in somno, ebrietate, vel ignorantia invincibili &c.) peccatum mortale est, ejusdem speciei cum actu desiderato.

Ratio est: quia desiderium illud deliberatè ac voluntariè tendit in objectum naturam suam simpliciter malum, ac peccatum mortale: & quod formaliter non sit tale, ex sola indeliberatione & involuntario excusatur; adeò ut causa excusans peccatum non reperiat in desiderio. Quia ergo ejusmodi desideria verè formaliter & intrinsecè mala sunt, nullo etiam sine bono cohonestari poterunt. Quis enim dicat licere, ad finem aliquem bonum optare & velle homicidium, vel adulterium committere in ebrietate? & si hoc, cur non etiam alium ebrium vel amentem ad idem committendum instigare? cur non licebit virgini optare sibi vim inferri ab ebrio ad bonum finem, v. g. consequendi ejusdem utile conjugium? quæ tamen omnium sensu insana sunt. Igitur

204. Dices: non pridem dictum est, licitum esse affectu simplici desiderare, ut pollutio meretricis naturalis & omninò involuntaria in somno eveniat,